



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 100. Ducissa e carcere clam elapsa, Turonibus Regem adit

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. C.

Sæcul. XV.
A.C. 1476.*Ducissa e carcere clam elapsa, Turo-
nibus Regem adit.*

His interim agitatis, Ducissa Rivarolum supremum Palatii Magistrum ad Regem fratrem suum ablegat, qui eundem impense efflagitaret, ut illam e carcere suo eriperet, eidemque exponeret, quod facili negotio in libertatem asseri posset, eoquod minus vigili excubitorum oculo observaretur. Accepto nuntio Rex pollicebatur, se hujus rei negotium Carolo de Ambasia Campaniæ Governatori demandaturum. Rivarolus Regis promisso confusus mox ad Ducissam revertitur, quæ ob faustum nuncium ingens gaudium concepit. Nihilominus eodem ferme temporis momento alterum adhuc Deputatum ablegavit, qui Regi supplicaret, ut data fide polliceretur, se Ducissæ liberam in Sabaudiam redeundi copiam concessurum. Idem Legatus rogare jubebatur, ut Rex Ducissæ liberos, necnon urbes eidem subditas redderet, eamque suo præsidio ita juvaret, ut in Sabaudia suam auctoritatem tueri possit. Rex omnibus Ducissæ votis annuit, ac nulla mora nuntium ad Carolum de Ambasia Calvimontii Toparcham decrevit, qui cuncta Rivarolo a Rege promissa exequeretur.

O o 3 §. CI.